

Sine charitate proximi vacua est homo.

tuam primam reliquisti. Statim tamen insurgit dubium, cur ei, qui charitatem relinquit, dicitur; mouebo candelabrum tuum? Appositè satis, nam extincta lucerna, indecens est ibi manere candelabrum, ex quo inde illud amouetur: sic etiam extincta, & consumpta charitate erga proximos, vacuum, & inutile candelabrum manet homo, & ideo necessum est, vt è medio tollatur, non enim amplius est utilis, sed omninò vacuus, & superuacaneus.

Matth. 22. Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus.

Num. 42. Dicens: Quid vobis videtur de Christo: cuius filius est? Dicunt ei, Dauid.

Num. 43. Ait illi: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens.

VERSIONES.

Arias n. 41. Coactis autem Pharisæis.

Syriac. n. 42. Quid dicitis de Messia?

Syriac. n. 43. Quomodo ergo per Spiritum vocat eum?

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum Filium esse Dauid? Et ipse Dauid dixit in Spiritu sancto.

Luc. 20. n. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum Filium esse Dauid? Et ipse Dauid dicit in libro Psalmorum.

EXPOSITIO IV.

48.

Marc. 8.

Hieron.

Pro malo bonum.



CONGREGATIS autem Pharisæis. Vt Iesus sapientiam despicerent, ac deprimerent, vt pater ex D. Marco 12. num. 35. Interrogauit eos Iesus. Summa Christi pietas ex ipso concursu Pharisæorum ad eum tentandum, assumit occasionem ad eos instruendos de Messia persona, excellentia, ac dignitate, vt ait D. Hieron. Qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & veritatem fraudulenta interrogatione carpere nitentur, occasionem præbuerunt confutationis suæ. Docet nos Diuinus Magister, non malum pro malo reddere, sed bonum pro malo; obiectam Pharisæorum tentationem conuertit Dominus in eorum instructionem, & eorum maleficium, in beneficium. Non vni soli, verbi gratia Doctori, qui de mandato magno interrogauerat, voluit Iesus ponere hanc quæstionem, sed congregatis multis;

vt rem valde necessariam, & scitu dignissimam omnibus proponeret, omnisque de diuinitate personæ Messia instrueret.

Dicens: Quid vobis videtur de Christo? Ex Dei promissione in Lege, & Prophetis facta, & à vobis vehementer expectato. Quid vobis videtur de illius substantia natura, ac persona, Cuius Filius est? Dei scilicet, an hominis? Quid de hac re docet Scriptura? Proponit quæsitum cum sciret responsum, vt inde eos doceret: Dicunt ei: Dauid. Cùm potius debèrent dicere, quia Deus, Filius est Dei: iuxta Psal. 2. num. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Qua homo verò Filius est Dauid. Hoc secundum erat valde commune, & tritum Christi tempore; primum verò Messia diuinitatem, vel ignorabant, vel non creddebant Pharisæi, vt obseruant D. Chrysofom. homil. 42. in Imperfecto, D. Paschas. lib. 10. in Matth. D. Thom. & alij.

Illam verò Christi diuinitatem agnouit Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui, Matth. 16. Hanc tamen sublimem cognitionem, ei non reuelauit caro, & sanguis. Sapienter D. Leo serm. 9. de Natiuit. Interclusistis vobis, o Iudai, intelligentiam, & dum solam naturam carnis aspiciatis, tota vos veritatis luce priuastis. Expectantes enim secundum vestra persuasionis fabulosa figmenta, Dauid filium de sola stirpe corporea, dum spem vestram in homine tantum constituisstis Deum, Dei Filium repulistis. Petrus, qui Dei gratia erat expeditus à carne, & sanguine diuinam Christi naturam contemplatur. At verò Pharisæi, qui in terrenis tantum erant immerfi, & temporaliaque tantum ante oculos habebant posita. Quid inde Deum, Dei Filium repulistis. Vt de Deo obliiti solum terrena cogitarent, ac cognoscerent.

Nota hic quod Marcus, & Lucas licet videantur aliter rem narrare, interrogationem factam esse ab Scribis, hoc minime discrepat à D. Mattheo, sed optime cum eius dictis conciliatur. Nam Iesus primò interrogauit Pharisæos, quidnam eis videretur, cuius filius foret Christus; tunc illis responderunt Scribæ, seu legis Doctores affirmare, Christum esse Filium Dauidis. Quo audito subiicit Christus, vt scribit D. Marcus, & Lucas: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse Filium Dauidis, cum Dauid eum dicat suum Dominum.

Ait illis: Quomodo ergo Dauid. Eorum ignorantiam, ac insipientiam arguit Christus, qui cum legerent Scripturas, minime eas intelligerent, ac penetrarent: In Spiritu. Ab Spiritu sancto motus, ac impulsus: Vocat eum Dominum: Filius inferior, ac iunior est suo parente, vnde non pater Filium, sed filius patrem vocat Dominum suum, illiusque seruum se affirmat, & dicit. Theophylact. Non negat Dominus se esse Filium Dauid hoc dicendo, sed monstrat quod non sit purus homo, ex solo Dauidico semine descendens.

Matth. 22. Dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Num. 45. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?

49.

Psal. 2. Psal. 109.

Chrysof. Paschas. D. Thom.

50. Matth. 16.

Leo.

Temporalius diuina non intelligunt.

51. Concordia Evangelistarum.

52.

Theophyl.

Num. 46.

Num. 46. Et nemo poterat respondere ei verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSIONES.

Aliqui apud Lorinum. Dixit Dominus Verbo suo.

Barradas ex Hebræo. Dixit Dominus, tetragrammaton Domino meo Messia.

Syriacus. Sede à dextera mea vsque dum ponam hostes tuos subter pedes tuos.

Euthymius. Donec posuero.

Vatablus. Subsellium pedum tuorum. Syriacus n. 46. Et nemo poterat reddere rationem: nemoque ausus est amplius ab illo die interrogare eum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 36. & 37.

Luc. 20. n. 40. Idem habent, ac Matthæus.

EXPOSITIO V.

53.

Psal. 109.

Chrysof. Paschas. Alb. Magn. D. Thom.

Ephes. 1. Philip. 2. Hebr. 1.

54.

1. Cor. 15.

DICENS: ex versu Psalmi 109. num. 1. Messia dignitatem, & excellentiam, ac proinde non esse purum hominem, sed etiam verum Deum. Dixit Dominus. Nomen Dei ineffabile. Tetragrammaton, hoc loco ponitur Domino meo. Messia, siue Christo Domino; vnde efficitur Messiam non hominem tantummodo esse, sed etiam aliam præter humanam habere naturam, propter quam à progenitore suo Dominus appellatur, antequam ex Virgine nasceretur. Sede à dextris meis. Metaphoricè humano modo loquitur Dauid, vt notant D. Chrysofomus, D. Paschasius, Albertus Magnus, S. Thomas & alij. Deus enim spiritus est, dexteræque caret; quia tamen præstantior hominis manus dextera est, præstantior quoque locus per eam designatur; hoc ergo loquendi modo significatur æternum Parentem Christo triumphatori in celos ascendenti præstantissimum, ac excellentissimum cæli locum tribuisse, sed ait, à dextris meis, hoc est supremum cæli Thronum obtine. Ad Ephes. 1. num. 20. ad Philippenf. 2. num. 9. ad Hebræos 1. num. 13.

Donec ponam inimicos tuos. Vt supremus omnium Rex in summa felicitate, auctoritate, gloria, & imperio in vniuersas creaturas, sede ad dexteram meam, & regna, ad iudicij vsque diem, in quo supremæ potestati tuæ sic subiciam omnes aduersarios, quemadmodum scabellum, siue suppeditaneum solet sub pedibus subiici. Oportet illum, scilicet Christum, regnare donec ponat inimicos sub pedibus eius, 1. Corinth. 15. num. 25. Donec ponam. Illa particula, donec, non denotat finem, sed continuationem, ac amplificationem regni, & sessionis. Id est regna nempe mecum, etiam donec inimicos tuos tuis pedibus subiciam, eo etiam tempore, quo ipsi inimici tui videntur tibi contrarij, & oppositi, eo etiam tempore, quo inimici tui videntur regnare, & quando peccatum non est omnino euersum, ac extinctum, sed inter ipsas persecutiones, ac bella, quæ Satanas aduersus tuos fideles, tuamque Ecclesiam commouet, tunc regna, & sede ad dexteram meam, ac proinde illa particula, donec, non excipit tempus aliquod, sed illud exprimit, quo videri poterat Christus non sedere à dextris Dei, intelligendum denotans postea veluti multo magis sessurum, vt notauit Franciscus Lucas. Vnde ait Paulus Hebræorum 10. num. 12. In sempiternum sedet in dextera Dei de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Ac proinde donec multi volunt, quod sit positum pro etiam donec. Similis est locus Matth. 1. num. 25. De quo plura dixi tom. 1. lib. 1. cap. 10. quæst. 22.

nem, sed continuationem, ac amplificationem regni, & sessionis. Id est regna nempe mecum, etiam donec inimicos tuos tuis pedibus subiciam, eo etiam tempore, quo ipsi inimici tui videntur tibi contrarij, & oppositi, eo etiam tempore, quo inimici tui videntur regnare, & quando peccatum non est omnino euersum, ac extinctum, sed inter ipsas persecutiones, ac bella, quæ Satanas aduersus tuos fideles, tuamque Ecclesiam commouet, tunc regna, & sede ad dexteram meam, ac proinde illa particula, donec, non excipit tempus aliquod, sed illud exprimit, quo videri poterat Christus non sedere à dextris Dei, intelligendum denotans postea veluti multo magis sessurum, vt notauit Franciscus Lucas. Vnde ait Paulus Hebræorum 10. num. 12. In sempiternum sedet in dextera Dei de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Ac proinde donec multi volunt, quod sit positum pro etiam donec. Similis est locus Matth. 1. num. 25. De quo plura dixi tom. 1. lib. 1. cap. 10. quæst. 22.

Luc. Burg. Hebr. 10.

Matth. 1.



CAP. XLVII.

Arguuntur Pharisæi, & Ierusalem.

Matth. 23. Tunc Iesus locutus est ad turbas, & discipulos suos.

Num. 1. Dicens: Super Cathedram Moyfi sederunt Scribæ, & Pharisæi.

Num. 3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt, & non faciunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Tunc Iesus collocutus est turbis, & discipulis suis.

Theophylact. In Cathedra Moyfi sedent Scribæ, & Pharisæi.

Syriacus. Quidquid igitur dicent vobis, vt seruetis, seruate, ac peragite: sed iuxta opera eorum, ne feceritis.

Vatablus. Omnia ergo quæcumque iusserint vos seruare, seruate, & facite.

D. Hilarius. Facite, & obseruate, secundum facta eorum nolite facere.

Orig. hom. 24. Audite, & facite, iuxta opera eorum ne faciatis.

